



Olaus cognomēto Schotkoning filius Erici Aorsel magna & memorabili omnium incolarum foelicitate ad Gothorum et Sueonum regna peruenit. Siquidem eius ingenita benignitate & summa prudētia effectum ut Christiana fides, quæ hactenus in aliquot saltē Suetici regni partibus uiguerat, ab uniuerso Gothorum & Sueonum principatu assumeretur, abiecto ubiq; falsorum deorū cultu. Proinde à multis primus Christianus rex apud Sueones nominatur, licet Beron rex sub Ludouico pio Cēsare quoq; Christianam religionem in suum regnū introducere conatus fuerit. Hic autem nō modò collapsam ferè in Suetia religionem

restituit, uerū omnes subditos baptizari curauit. In eo opera S. Sigfridi Archiepiscopi Eboracensis usus fuit. Is ad Gothiam Meridionalem ueniens uersionē sem cathedralem ecclesiam erexit, atq; homines in uera pietate pro sua eruditione instituit. Ut autem Olauus religione, ita & bellorū gloria maximus extitit. Nam regno Sueonum & Gothorum Noruagię adiunxit. Cum autem postea S. Olauus eius filiam uxorem duceret, eundem regem Noruegię cōfirmauit. Erat enim Canutus potens Danię rex huius Olai ex matre Sigritha frater. Itaq; Septentrionales Germanię reges altam pacem inter se habuerunt, et magna foelicitate rebus præfuerunt. donec tandem Olauus circa annum Christi 1018. in fata concesserit, atq; in cathedrali ecclesia Lincopensi sepultus fuerit. Ioan. Mag. lib. 17. cap. 23.